Programm

des

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums
zu Königsberg in der Neumark,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler

am 21. März

sowie

zu der Feier des Geburtstages
Sr. Majestät des Königs

am 22. März

im Namen des Lehrer-Collegiums ergebenst einladet

der Director

Dr. C. W. NAUCK.

Inhalt:

1) Grammaticorum Graecorum doctrina de pronominibus, von Dr. Jahn.
2) Schulnachrichten, vom Director.

Königsberg i. d. N. 1861.

Druck von J. G. Striese.

Grammaticorum Graecorum doctrina de pronominibus.

I. Philosophorum placita de pronominibus.

Quaerentibus nobis, quid a Graecis quum in universa linguae disciplina exornanda tum in constituendis partibus orationis effectum sit, ultra Platonis et Aristotelis aetatem regredi vix ac ne vix quidem liceat. Primus enim Plato ex universa vocabulorum silva, quibus cogitata eloquimur rerumque notiones animis insitas exprimimus, duas praecipue partes orationis segregavit, *ὄνομα* et *ῥῆμα*; quibus nominibus non eodem sensu quo grammatici posteriores usus est: illo enim subjecti, quod vocant, hoc praedicati notionem contineri voluit. Platonem secutus est Aristoteles, qui eodem modo ac divinus praeceptor tamquam partes orationis *ὄνομα* et *ῥῆμα* constituit, quibus, utpote *τοῖς ἐμψυχοτάτοις μέρεσι τοῦ λόγου*, solis confici oratio posset; reliqua, quae minus necessaria essent ad perficiendam enuntiationem, tamquam rudem indigestamque molem *συνδέσμου* aut *ἄρθρου* vel etiam uno *συνδέσμου* et *ἄρθρου* nomine comprehendit. Sed quamquam haec nomina in Aristotelis libris pluribus locis inveniuntur, qui omnes congesti sunt a Lerschio in libro: Die Sprachphilosophie der Alten, II, 14 sqq., atque ex iis ipsis philosophum apparet his partibus orationis etiam ea vocabula annumerasse, quae a posterioribus proprio ac peculiari nomine *ἄρθρα* sunt appellata: unus tamen is locus (artis poeticae cp. 20.), quo et *συνδέσμου* et *ἄρθρου* definitionem distincte proposuit, tam misere corruptus necdum ulla interpretum ope persanatus est, ut, quomodo utrumque genus distinxerit quamque propriam eorum naturam esse statuerit, difficile sit ad affirmandum. Quod autem Dionysius Hal., de comp. verb. II, 12 et Quinctilianus, Inst. orat. I, 4, ab Aristotele et Theodecte tres modo partes, verba, nomina, convinctiones traditas esse dicunt, id facile nos ad eam adducere possit suspicionem, ut apud illum *συνδέσμου* nomen latiore quodam sensu *ἄρθρα* complexum esse, angustiore autem eas, quae proprie vocantur, conjunctiones significasse putemus. Quam quidem suspicionem non tam vanam esse quam obiter rem in-

spicienti videri possit, facile intelligi potest, si, qua de caussa ἄρθρου nomen huic parti a veteribus tributum sit, accurate cognitum habemus. Ἄρθρα enim non ob eam caussam a grammaticis appellata sunt, quod generibus potissimum distinguendis inserviunt, quem errorem Apollonius jam refutavit de constr. I, 3, 23, sed quod orationis membra inter se vinciunt ad instar eorum, qui in corpore articuli sunt membrorumque juncturas efficiunt. Cf. Apoll. de pron. p. 4. B. Quae quum ita sint, non improbabile videtur, Aristotelem, quamquam propter illam significationis similitudinem articulos et conjunctiones uno συνδέσμων nomine comprehenderit, tamen unam συνδέσμων partem in duas species, alteram πτωτικήν, alteram ἄπτωτον divisisse. Sed pronomina utrum in eadem cum nominibus parte posuerit, an in συνδέσμοις aut ἄρθροις numeraverit, pro certo affirmari non potest; praesertim quum ei id propositum non esset, ut ad modum grammaticorum vocabula in sua quaeque genera distribueret, sed illud, ut eas partes, quibus enuntiationes perfici interque se necti possent, constitueret. — Peripateticos pronomina nominibus adnumerasse ex testimoniis aliquot apparet. Ammonius ad Arist. de interpr. p. 99 tradit: τῷ ἀπὸ τῆς Ἀφροδισιάδος ἐξηγητῇ (Alexandro) δοκεῖ καὶ τὰ ἐπιῤῥήματα ὀνόματα εἶναι καὶ τὰς ἀντωνυμίας. Idem Dionysius Hal. l. l.: Ἕτεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. Etiam Quinctilianus, postquam ab Aristotele et Theodecte tres modo partes constitutas esse tradidit, paullatim a philosophis ac maxime Stoicis nominibus appellationem, deinde pronomen, deinde mixtum verbo participium adjecta esse dicit. Quibus ex locis dubitari non potest, quin pronomina a nonnullis philosophis in eadem cum nominibus parte numerata sint, ut non ab ἄρθροις, ut plerisque placuit, sed ab ὀνόμασι postea sejungerentur suumque in partibus orationis locum separatim acciperent. — Insecuti sunt Stoici, qui, quum non ut superiores philosophi passim tantummodo et quasi praetereuntes quasdam de lingua quaestiones tangerent, sed primi universam hanc disciplinam per se tractandam sibi sumerent, etiam hanc de partibus orationis doctrinam promoverunt et excoluerunt. Tribus enim aut quattuor partibus, quas apud Aristotelem comparere vidimus, quintam adjunxerunt. Sed ut, omissis ceteris partibus, de ἄρθρῳ accuratius exponamus, Stoici, ut Dionysius de comp. verb. II, 20 tradit, οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς (Ἀριστοτέλην scil. καὶ Θεοδέκτην) γενόμενοι καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες ἕως τεττάρων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα, articulos a conjunctionibus disjunxerunt et tamquam diversas inter se partes constituerunt. Recte enim casualem orationis partem, quae orationi copulandae convinciendaeque inservit (ἄρθρον), ab ea, quae, quamvis simili vi instructa, casibus tamen caret (συνδέσμοις), secreverunt. Definitio autem ἄρθρου, quae Stoicis a Diogene Laërtio (vita Zen. c. 39) tribuitur, haec est: ἄρθρον ἐστὶ στοιχεῖον λόγου πτωτικὸν διορίζον τὰ γένη τῶν ὀνομάτων καὶ τοὺς ἀρίθμους, οἷον ὁ, ἡ, τό, οἱ, αἱ, τά. Qua quidem definitione quamquam in eam opinionem incidere possumus, ut ex Stoicorum mente ἄρθρου nomen articulo, quem nos proprie dicimus, tributum esse opinemur, tamen ex Prisciani et Apollonii Dyscoli testimoniis colligi potest, ἄρθρα ab iis etiam pronomina vocata esse, quae hac saltem definitione non continentur. Pronomina enim et articulos uno ἄρθρων nomine comprehendentes, ita inter utraque distinxerunt, ut articulos, quos etiam nunc ita dicimus, ἄρθρα ἀοριστώδη, pronomina ἄρθρα ὡρισμένα vocarent. Cujus rei quum apud Apollonium luculentissima exstent testimonia, Diogenis Laërtii definitionem apparet non generis esse, sed

speciei tantum, hoc est eorum, quae ἄρθρα ἀοριστώδη Stoici dixerunt. Sed si quaerimus, quibus argumentis Stoici suam sententiam confirmaverint, ex illorum scriptis afferri nihil potest; pauca apud Apollonium reperimus, qui, de pron. 5 illorum doctrinam acerrime impugnans, argumenta affert, quibus ad defendendam suam doctrinam usi videntur. Ac primum quidem in externis vocabulorum formis similitudinem quandam inesse videbant; deinde haud raro articulos loco pronominum usurpari dicebant; denique, quod summi momenti est, sed magis ex Apollonii quam ex Stoicorum mente dictum videtur, αἱ ἀντωνυμίαι καὶ ἀναφορικῶς λαμβάνονται καὶ τὰ ἄρθρα ἀναφορὰν δηλοῖ. Quibus ex argumentis illud facile intelligi poterit, Stoicos, externa quadam similitudine deceptos, veram intimamque articuli et pronominis vim omnino non vidisse. Quod vero articulum, quem proprie vocamus, articulum infinitum vocarunt, id Apollonius ita explicandum putat. Quum non raro fieret, ut articuli de incertis et indefinitis personis usurparentur, velut quum dicimus ὁ περιπατῶν κινεῖται pro ὅστις περιπατεῖ κινεῖται, demonstrativa autem aliaque pronomina certas ac finitas personas indicarent, articulos, ut a pronominibus secernerent, ἄρθρα ἀοριστώδη vocarunt.[1]) Verumtamen hunc articuli usum tam rarum propriamque ejus vim ac naturam ita comparatam esse Apollonius dicit, ut e contrario ὡρισμένον potius ἄρθρον quam ἀοριστῶδες appellandus videatur. Ceterum Priscianus[2]) docet, Stoicos nomina infinita, interrogativa et relativa, ut τίς, ποῖος, πόσος, πηλίκος, ὅστις, ὁποῖος, ὁπόσος, ὁπηλίκος, τοσοῦτος, τηλικοῦτος, τοιοῦτος in infinitorum articulorum numero posuisse. Haec fere sunt, quae de articulis pronominibusque apud Stoicos inveniuntur.

II. Grammaticorum, qui ante Apollonium Dyscolum fuerunt, doctrina.

Alexandrini grammatici, quum permulta, quae ad promovendam artem grammaticam a philosophis tradita erant, minus probarent, omninoque hanc artem a Peripateticis Stoicisque plane imperfectam ac vix nascentem relictam viderent, in constituendis partibus orationis duas potissimum rationes secuti sunt. Aristarchum enim ejusque asseclas octo orationis partes constituisse novimus, quum alii illius aetatis grammatici Stoicorum rationem secuti quinque tantum agnoscerent, participium verbo, articulo pronomen, appellationi adverbium, praepositionem conjunctioni subjicientes, nomen vero proprium et appellationem tamquam diversa sejungentes. Sed quoniam in veterum grammaticorum studiis tres potissimum distinguuntur periodi, prima eorum, qui usque ad Hadriani imperatoris tempora fuerunt, secunda, quam florentis grammaticae veteris aetatem vocare licet, Apollonii Dyscoli et Herodiani, tertia denique Byzantiorum grammaticorum: non alienum videtur, priusquam Apollonii de pronominibus doctrinam explicemus, qui quidem, ut apte ait Priscianus, omnes errores antiquorum

---

1) Apoll. de constr. I, 34, p. 68: ὁ δειπνήσας παῖς κοιμάσθω, ἐφ᾽ οὗ ἀοριστώδης ἡ σύνταξις γίνεται τοῦ ἄρθρου, ἔνθεν καὶ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς τὰ τοιαῦτα μόρια ἀοριστώδη ἐκάλεσαν. Quae vero Geppert (Die sprachlichen Kategorien der Alten, S. 18) disputat, minus ex mente Stoicorum dicta videntur.

2) Vide locos a R. Schmidtio, Stoicorum grammatica p. 42, collectos.

grammaticorum purgavit, quid ab iis, qui ante Apollonium fuerunt, in describenda doctrina de pronominibus effectum sit, accuratius exponere. Nam quae a Byzantiae scholae magistris cum de omnibus partibus orationis tum de pronominibus disputata sunt, facile iis carere possumus, quippe quae sine judicio et inepta quadam sedulitate saepe paene ad verbum ex Apollonii libris carpta et congesta sint.

Incipiamus igitur a triumviris illis, qui, quum in interpretandis emendandisque divini poetae carminibus versarentur, non solum criticis rebus excelluerunt, sed etiam in hanc artis grammaticae partem diligenter inquisiverunt. Zenodotum enim, qui primus perhibetur Homeri fuisse *διορθωτής*, in editione Homeri permultum et in formis grammaticis pronominum et in constructione versatum esse, scholia Veneta in Iliadem satis demonstrant, ex quibus non minus quam viginti sex locis formas pronominum ab eo emendatas esse apparet. [3]) Neque vero Apollonius Zenodoti de pronominibus studia plane neglexit. Pluribus enim locis hujus grammatici mentionem facit, *τὰς ἀντωνυμικὰς γραφὰς τοῦ Ζηνοδότου* commemorans. Sed num primus pronomina ab articulo sejunxerit nomenque *ἀντωνυμίας* invenerit, incertum est, quum, ut postea videbimus, de nomine huic parti tribuendo illius aetatis dissenserint grammatici. De Aristophane Byzantio nihil traditum est, quamquam dubitari non potest, quin in Homeri carminibus recensendis hunc quoque de pronominibus locum attigerit. Quae vero ex Aristarchi doctrina reliqua habemus, permagni ad historiam hujus partis persequendam momenti sunt. Hic enim, teste Apollonio, pronomina *λέξεις κατὰ πρόσωπα συζύγους* dixit. [4]) Qua quidem definitione quid Aristarchus pronominum proprium esse statuerit, ex iis disci potest, quae Apollonius de constr. p. 100 contra Habronem grammaticum disputat; qui quum pleraque pronomina non secundum nominum analogiam per casus flecti videret, *ἀσύζυγα* potius quam *σύζυγα* vocanda esse dixit. Sed Habro, falsa vocis *συζυγίας* interpretatione inductus, Aristarchum non de vi ac natura pronominum, sed de sola forma et declinatione dixisse opinatus videtur. Nimirum hoc grammaticus vult, pronomina vocabula esse, quae, quum personas indicent, similia inter se ob eamque caussam conjuganda sint. [5]) Quod quum non solum de pronominibus, sed etiam de verbis dici possit, Apollonius

---

3) Vide Duentzerum de Zenodoti studiis Homericis, pag. 57 et 73.

4) Apoll. de pron. 1., de constr. p. 100. Prisc. XVII, 60. p. 144 Hertz: „Itaque bene dicebat Aristarchus, conjuga esse personis pronomina.“ XVII, 175. p. 198: „Sciendum, quod conjugata pronomina, quae σύζυγα Aristarchus vocat etc.“

5) Σύζυγα a veteribus grammaticis ea vocabula nominantur, quae propter significationis vim similia inter se vel cognata sunt. Apoll. de pron. p. 107: ἡ ἕ σύζυγος τῇ σέ. p. 76: Τὰς κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον, λέγω δὴ τὴν ἵ καὶ τὰς συζύγους. Eodem modo συζυγεῖν pronomina personalia vel possessiva, quae ejusdem casus vel ejusdem personae sunt, dicuntur. Neque voce συζυγίας grammatici id significari voluerunt, quod nobis conjugatio est, quo sensu a veteribus κλίσις dicebatur, sed συζυγία est eorum vocabulorum, quae aliquo modo similia sunt vel orta ab uno varie commutantur, conjugatio vel conjunctio. Prisc. VIII, 93. p. 442: „Conjugatio autem nominatur vel propter conjugatas consonantes, hoc est cognatas, ex quibus pleraeque apud Graecos conjugationes regulam sumunt, vel quod una eademque ratione declinationis plurima conjugantur verba.“ Cf. Cic. Top. III, § 12: „Conjugata dicuntur quae sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia; haec verborum conjugatio συζυγία dicitur.“

hanc definitionem improbat. De pron. p. 1. Aristarchum igitur, quantum ex definitione conjicere licet, ut in aliis gravissimis partibus grammaticae, ita in hac levissima ultra vulgus sapuisse doctrinamque de pronominibus promovisse videmus. Primum enim *ἀντωνυμίας* ab *ἄρθροις* sejunxit et tamquam propriam orationis partem posuit; deinde pronominum proprium esse voluit personas indicare, ita ut huic parti personalia tantum cum reciprocis et possessivis annumerasse, demonstrativa vero *ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος* exclusisse videatur.

Accedamus ad Dionysii Thracis, quem Aristarchi discipulum fuisse constat, artem grammaticam. De quo libello quum variae sint a viris doctis dictae sententiae, ea nobis verisimillima videtur, quae a Schoemanno in praef. ad lectt. Gryph. ann. 1833 proposita est. „Neque omnia," ait vir doctissimus, „in hoc libello, qualia nunc sunt, a Dionysio scripta, neque contra totus a Byzantio aliquo magistro confectus est; sed ut in libello ejus modi scholastico et ad institutionem elementariam per multa saecula adhibito fieri paene necesse fuit, ut mutatae subinde doctrinae adaptaretur, refictas quasdam partes et aliter, atque a Dionysio factum erat, conceptas a serioribus magistris esse censemus." In hac grammatica octo sunt partes orationis, eaedem, quas ab Aristarcho constitutas esse Quinctilianus I, 4, 20 tradit. Articulus ex more Aristarcheorum a pronominibus sejunctus est. Definitio articuli haec est: *Ἄρθρον ἐστὶ μέρος λόγου πτωτικόν, προτασσόμενον καὶ ὑποτασσόμενον τῆς κλίσεως τῶν ὀνομάτων*; qua definitione ex constanti veterum usu ii quos nos quoque articulos vocamus cum *ὑποτακτικοῖς* comprehenduntur. Pronomina vero ita definiuntur: *Ἀντωνυμία ἐστὶ λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη, προσώπων ὡρισμένων δηλωτική.* Proposita definitione ex ordine, quem veteres in tractandis his rebus tenent, *τὰ παρεπόμενα* seu accidentia sequuntur. Tum pronomina in suas quaeque species distribuuntur, brevibus aliquot de formis et de declinatione adnotationibus adjectis. Atque toto hoc de pronominibus capite ita loquitur Dionysius, ut huic parti tantum personalia *ἐγώ, σύ, ἵ* eorumque derivativa *ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ, ἑαυτοῦ* et possessiva attribuat, demonstrativorum autem neque hoc loco neque alibi mentionem faciat: ut dubitari non possit, quin in exponenda de *ἀντωνυμίαις* doctrina Aristarchum secutus sit, quaeque a magistro tradita acceperit, ex mente illius excoluerit et promoverit. Sed huic doctrinae, quam in grammatica a Dionysio propositam habemus, contraria quaedam et repugnantia testimonia exstant, quibus adducti alii hanc grammaticam Dionysio, Aristarchi discipulo, abjudicandam esse putaverunt, alii, ut hunc libellum Dionysio Thraci vindicarent, alium cognominem grammaticum fuisse opinati sunt. Scholiastes enim Dionysii (Bekk. Anecd. II, p. 673) dicit: *θέλουσιν οὖν τινὲς μὴ εἶναι γνήσιον τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα, ἐπιχειροῦντες οὕτως, ὅτι οἱ τεχνικοὶ μέμνηνται Διονυσίου τοῦ Θρᾳκὸς καὶ λέγουσιν, ὅτι διεχώριζε τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ συνῆπτε τὸ ἄρθρον καὶ τὴν ἀντωνυμίαν.* Quamobrem, quum Aristarchus, ut supra demonstratum est, pronomina ab articulis sejunxerit, mirum videri potest, discipulum ita a magistro dissensisse, ut sine ulla probabili caussa Stoicorum potius quam Aristarchi doctrinam sequeretur. Sed scholiastes toto hoc loco tam obscure loquitur, ut ejus testimonio non multum tribuendum esse putemus. Multo graviorem et locupletiorem testem habemus Apollonium Dyscolum, qui fortasse unus ex technicis illis est, quem scholiastes citat. Hic enim in libro de pron. p. 4. B.: *καὶ Ἀπολλόδωρος*, inquit, *ὁ Ἀθηναῖος καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος καὶ ἄρθρα δεικτικὰ τὰς ἀντωνυμίας ἐκάλεσαν.* Quod quum sit diversum ab iis, quae in grammatica illa sunt, maximeque

iis contraria, Schoemannus l. l. hanc quaestionem ita solvendam putavit, ut omnia illa vocabula, quae nos uno pronominum genere comprehendere solemus, apud Dionysium fuisse tribus generibus divisa suspicaretur. Personalia igitur cum reciprocis et possessivis Dionysio erant *ἀντωνυμίαι*, demonstrativa *ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος ἄρθρα δεικτικά*, indefinita et interrogativa et adjectiva pronominalia *τοσοῦτος, τηλικοῦτος, τοιοῦτος* nominibus adjungebat: ita ut non totam hanc partem orationis *ἄρθρων δεικτικῶν* nomine significaret, sed ea tantummodo vocabula, quae *δεικτικαὶ ἀντωνυμίαι* a Graecis posterioribus, a Latinis demonstrativa appellata sunt. Quod autem articuli definitio, quae in Dionysii grammatica est, pronomina demonstrativa non complectitur et illa pronomina nusquam in hoc libello comparent, hoc quoque viro doctissimo argumento est, librum illum, quem nunc in manibus habemus, talem qualis nunc est a Dionysio illo vetere non profectum esse. Huc accedit, quod locus ille, quo Dionysius *ἄρθρου* doctrinam exponit, non integer videtur, quum expositio de generibus, numeris et casibus *ἄρθρου ὑποτασσομένου* omnino desit.

Lerschius (Die Sprachphilosophie der Alten, II. p. 97) contra hanc Schoemanni sententiam cum alia tum hoc protulit, demonstrativa a Dionysio adnumerari nominibus. Adnumerantur *τοσοῦτος, τηλικοῦτος, τοιοῦτος*, quae *ἀναφορικὰ* vel *ὁμοιωματικὰ* vel *δεικτικὰ* vel *ἀνταποδοτικὰ* ab eo appellantur; sed de pronominibus *ὅδε, οὗτος, ἐκεῖνος* nihil dicit. Quam rem si Lerschius ita explicandum putat, ut Dionysium, quum ex omni vocabulorum genere pauca tantummodo exempla afferret, demonstrativa non expresse nominavisse suspicetur, et tam diversa inter se aut forma aut significatione haec vocabula esse neget, ut caussa excogitari possit, quare Dionysius demonstrativa non eidem parti cui correlativa attribuerit, minus probabilis ista argumentatio videtur. Haud facile enim inter grammaticos inveneris, qui demonstrativa nominibus subjunxerit; *τοῖς ἄρθροις* potius ea adnumerata esse multo probabilius est, quod grammatici in Homeri carminibus *τὰ ἄρθρα* saepissime loco eorum posita videbant. Neque Apollonius, quum multis locis subtiliter rationes explicaret, cur correlativa a pronominibus sejungenda et nominibus attribuenda sint, quidquam tamen commemorat, ex quo demonstrativa in eadem cum correlativis parte a quibusdam posita esse conjici liceat. Sed ut ad locum illum Apollonii redeamus, illud utique animadvertendum est, quod grammaticus, quum de Stoicis dissereret pronomina *ἄρθρα ὡρισμένα* appellantibus, passim tantummodo et obiter addit: *καὶ Ἀπολλόδωρος κτλ.* Quibus ex verbis, quum *καὶ ἄρθρα δεικτικὰ τὰς ἀντωνυμίας ἐκάλεσαν* scriptum sit, illud tantum apparere, hanc partem non solum *ἀντωνυμίας*, sed etiam *ἄρθρα δεικτικὰ* ab iis appellatam esse, recte Lerschius l. l. p. 66 observat. Quod quidem in Apollodoro Atheniensi mirum videri non potest, quem unum ex Panaetii Rhodii philosophi et Aristarchi grammatici discipulis fuisse Suidas tradit, ut hac in re ab Aristarcho dissentiens Panaetium Stoicum secutus esse videatur. Sed de Dionysio Thrace nihil ejusmodi traditum est. Quamobrem si Dionysium ab Aristarcho magistro non ita dissentire posse credimus, aut Schoemanni ratio in explicanda hujus grammatici doctrina sequenda est, aut cum Lerschio suspicandum est, Apollonium non de Aristarcheo Dionysio, sed de alio grammatico ejusdem nominis, qui Stoicae sectae fuerit, locutum esse. Quam quidem suspicionem augeri necesse est, si Dionysium Thracem etiam appellationem a nomine sejunxisse et verbum *λέξιν κατηγόρημα σημαίνουσαν* definivisse audimus; quae omnia cum Stoicorum potius quam cum Aristarchi doctrina congruunt.

De definitione pronominum, quam apud Dionysium legimus, Schoemanni sententia probabilissima est, qui eam a posterioribus magistris haud dubie insertam esse censet. Primum enim fere eadem est, quam Apollonius proposuit; deinde si *ἀντωνυμίας προςώπων ὡρισμένων δηλωτικὰς* Dionysius definivisset, certe a pronominum consortio demonstrativa non seclusisset, quae separata in illius grammatica a pronominibus fuisse, ex Theodosio, qui rectissime Dionysii enarrator vocatur, apparet. Hic enim, quamquam demonstrativa ipsius aetate jam dudum *ἀντωνυμίαις* accensebantur, obiter tamen et tanquam appendicis loco horum vocabulorum mentionem fecit, quum diceret: *εἰσὶ δὲ καὶ ἀντωνυμίαι τινὲς δεικτικαί, οἷον τὸ ἐκεῖνος καὶ τὸ τοῦτο καὶ τὸ αὕτη· ὁ γὰρ ταῦτα λέγων ἔοικεν ὥςπερ καὶ διὰ τοῦ δακτύλου τὸν περὶ οὗ λέγει δεικνύειν.* —

In numero eorum grammaticorum, qui ante Apollonium in promovenda doctrina de pronominibus elaboraverunt, Didymus Analogeticus commemorandus est, cujus doctrinae fragmenta Priscianus nobis servavit; (XI, 1. p. 548 H. et super XII vers. Aen. p. 1256 P.) ex quibus eum ad modum Stoicorum pronomina infinita et relativa in *ἄρθροις* posuisse apparet. Jam vero Trypho inter ceteros excelluisse videtur, quem, ut Priscianus tradidit, etiam Apollonius sequitur, maximus auctor artis grammaticae. Florebat Augusti Imperatoris aetate et Aristarchi doctrinam secutus, hanc artis grammaticae partem permultis et variis scriptis pertractavit. In pronominum naturam eum inquisivisse, tum ex eo apparet, quod peculiarem librum *περὶ προςώπων* composuit, cujus Apollonius mentionem facit de constr. III, 8; tum ex eo colligi potest, quod Apollonius in libris de pronomine et de constructione permultis locis ad Tryphonis placita lectores relegat. In partitione pronominum Dionysium Thracem secutus *ἀντωνυμίας* in *πρωτοτύπους* et *παραγώγους* distribuit; de pron. 19. B. Pronomen *σύ* vocativum, non nominativum esse voluit; de pron. 65. A., de constr. III, 2. Formas compositas *ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ* duplici ratione derivandas esse statuit: si pro pronominibus possessivis ponerentur, cum genetivo possessivi *ἐμοῦ* compositas illas esse; sin a verbo aliquo penderent, ab *ἐμοῦ* genetivo personali ducendas esse; de pron. 85. C. Cetera, quae de dialecticis formis, de inclinatione docuit, omittamus. — Deinde Habro, discipulus Tryphonis, non mediocrem his studiis diligentiam navavit, a quo librum *περὶ ἀντωνυμίας* compositum esse Apollonius tradidit de constr. I, 29. Cf. de constr. II, 5. et II, 12. Sed utriusque grammatici, Tryphonis et Habronis, placita, acerrime ubique ab Apollonio impugnata, non magna laude digna fuisse videntur. Denique Draco propter haec studia nominandus est, cujus praeter alia permulta grammatica scripta etiam librum *περὶ ἀντωνυμιῶν* Suidas commemorat. Apoll. de pron. 20. A. de possessivis exponens, eum citat his verbis: *Διπροςώπους τὰς κτητικὰς ὁ Δράκων ἐκάλει.* — Videmus igitur grammaticos Alexandrinos, quantum laceris ex reliquiis colligi potest, jam ante Apollonium summa cura in pronominum vim ac naturam inquisivisse. Sed quum in hujusmodi disputationibus in solis Homeri carminibus consisterent, in quibus articuli et pronominum relativorum et demonstrativorum formae saepe permutatae difficiles erant ad distinguendum, saepe longissime eos a vero aberravisse mirum videri non potest. Sicuti enim ceterarum artium, ita hujus artis grammaticae elementa, quae nunc quidem levissima videri solent, neque facilia initio erant ad inveniendum, et postquam tandem magnorum virorum studiis inventa erant, in iis excolendis doctissimi illius aetatis viri per longum tempus elaboraverunt.

Jam vero si de nominis auctore quaerimus, hoc ipsum *ἀντωνυμίας* nomen quam antiquum et a quibus introductum sit, incertum est; sed Aristarcho saltem non recentius videtur, siquidem ab hoc grammatico doctrinam de octo partibus orationis profectam esse novimus. Neque incredibile est, Aristarchum primum illud nomen invenisse, quamquam certum ejus rei argumentum afferri non potest. Ceterum hoc nomen non omnibus illius aetatis grammaticis probatum fuisse, ex eo colligi potest, quod alia a nonnullis nomina inventa esse traditum est, quibus rejectis, *ἀντωνυμίας* nomen a posterioribus receptum est. Dionysodorus Troezenius, grammaticus Alexandrinus, idem fortasse qui epistolas Ptolemaei Lagi collegit, pronomina *παρονομασίας* vocavit, qua voce Graeci vocabula a primitivis derivata significasse videntur, ut *ἀπὸ τοῦ λευκοῦ Λεύκιος*. Cf. Lobeck. Patholog. serm. gr. prolegg. p. 57. Quod nomen quum etiam ad alias partes orationis pertineat et de possessivis solis, utpote a personalibus derivatis, dici possit, tanquam pronominum minus proprium ab Apollonio refutatum est.[5]) Jam vero *ἀντονομασίας* a Comano, grammatico a veteribus Homeri interpretibus interdum commemorato, vocata esse Apollonius docet de pron. 3. A, nulla alia de caussa, ut videtur, quam quod in *ἀντωνυμίᾳ* non *ὄνομα*, sed *ὄνυμα* inesse opinabatur. Sed *ἀντωνυμία* eadem lege analogiae formatum est qua *συνωνυμία, διωνυμία* ac similia. Huc accedit, quod *ἀντονομασία* etiam dictionis tropicae nomen est, qua aliquid pro nomine ponitur. Nonnulli *ἀντώνυμον* pronomen vocarunt, a quibus Apollonius dissentit, quum hac voce singula pronomina, ut *ἐγώ, σύ*, non totum genus appelletur. *Ἀντωνυμία μέν ἐστι αὐτὸ τὸ πρᾶγμα καὶ αὐτὴ ἡ ὀνομασία, ἀντώνυμον δὲ αὐτὴ ἡ λέξις καὶ ἡ φωνή.* Bekk. Anecd. II. p. 904. Tyrannio Poenus, idem qui postea Terentiae Ciceronis uxori donatus est, primus comparativae quam vocamus grammaticae auctor, quum librum de lingua Romana a Graeca oriunda scriberet, *σημειώσεις* pronomina vocavit. Quam vocem Lerschius, l. l. p. 58, quum „Bezeichnungen“ verteret, recte dicere poterat mancam esse atque latius patere nec quidquam designare, quod ad propriam horum vocabulorum vim ac naturam pertineret. Sed Apollonium non idem judicasse, ex verbis ejus apparet: *Οὐκ ἀπιθανῶς ὁ Τυραννίων σημειώσεις αὐτὰς ἐκάλεσε*, quamquam ex illo loco, cur grammaticus hoc nomen pronominibus attribuerit, perspici non potest. Fortasse Tyrannio ideo a tralaticio nomine dissensit et plane diversum a ceteris invenit, quod veram et genuinam horum vocabulorum vim divinavit. Non enim nominant (*ὀνομάζουσι*) res, sed nihil aliud faciunt, quam ut res ex rationibus quibusdam, quae inter ipsas intercedunt, notent et designent. (*σημειῶσι.*)

III. Apollonii Dyscoli doctrina de pronominibus.

Quoniam ea exposuimus, quae Alexandrini grammatici ad constituendam et promovendam doctrinam de pronominibus attulerunt, ad Apollonium Dyscolum accedamus, qui

---

5) Quod Lerschius, 1 l. p. 58, illud nomen ab Apollonio ita explicatum esse dicit, ut *παρονομασίαι* vocabula sint, quae nominibus adjungantur, vereor, ut verum sit. Nam verba: *ἐπεὶ καὶ ἄλλα ἔν τισι παρονομάζεται· πετρώδης τε γὰρ καὶ ἐργατίνης*, si cum iis comparaveris, quae de adv. p. 570 leguntur: *πολλά ἐστι παρώνυμα κατὰ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένου παραλαμβανόμενα, ἐργάτης ἐργατίνης*, illo nomine derivata ab aliis significata esse facile intelliges.

quum in aliis tum in hac artis grammaticae parte ita inter ceteros excelluit et tam diuturna ac perpetua floruit auctoritate, ut omnis Byzantiorum magistrorum turba, quidquid in hac arte saperet, ex illius scriptis hauriret eosque merito pedisequos Apollonii nominare liceat. Mira enim subtilitate et summo ingenii acumine hanc quoque de pronominibus doctrinam exposuit duobus libris, de pronomine et de constructione; qui libri una cum iis, quos de conjunctionibus et de adverbiis composuit, ex ingenti scriptorum numero usque ad nostram aetatem duraverunt. Sed ne hos quidem integros et germanos ad nos pervenire fatorum vis quaedam iniqua sivit. Multis etiamnunc laborant vitiis, quibus orationis difficultas, quae cum brevitate conjuncta est, augeatur necesse est; id quod eo magis dolendum est, quia veterum grammaticorum loquendi consuetudinem ab ea, cui nos innutriti sumus, toto coelo distare vir praestantissimus et in his studiis judex idoneus affirmat. Cf. Lehrs, quaest. epp. p. 327.[6]).

a. De definitione.

Definitionem pronominum Apollonius hanc proponit: *Ὁριστέον οὖν τὴν ἀντωνυμίαν ὧδε· λέξιν ἀντ᾽ ὀνόματος προςώπων ὡρισμένων παραστατικήν, διάφορον κατὰ τὴν πτῶσιν καὶ ἀριθμόν, ὅτε καὶ γένους ἐστὶ κατὰ τὴν φωνὴν ἀπαρέμφατος.* Cf. Bekk. Anecd. II. p. 906. Ac primum quidem personas[7]) certas ac definitas indicare pronominum proprium esse statuit, ut nulla alia pars orationis eodem modo personarum discriminationi inserviat. 21. B: *παρὰ τὰ ἄλλα μέρη τοῦ λόγου ἐν προςώποις ὥρισται.* Prisc. XII, 2. p. 577: „super omnes alias partes orationis finit personas pronomen." Personarum autem est *δεῖξιν σωματικὴν* et *ψυχικὴν διάθεσιν* significare. 22. A: *ἐπιτήδειον γὰρ τὸ πρόςωπον δεῖξιν σωματικὴν καὶ ψυχικὴν διάθεσιν παραστῆσαι.* Primum igitur in personis est monstratio *σώματος*, h. e. rei singularis vel concretae, ut nos dicimus; nam *σῶμα* apud Apollonium idem videtur esse, quod apud posteriores *οὐσία αἰσθητὴ* est. Cf. Skrzeczka l. l. 1853 p. 7. Deinde si *ψυχικὴν διάθεσιν* vel animi affectum, h. e. modalitatem, quam verbi modus significat, in personis inesse dicit, fallitur Apollonius, quum prima tantum persona, non secunda et tertia illam *διαθέσεως* significationem habeat. Haec enim modalitatis significatio tum demum in enuntiando locum habet, quum qui loquitur simul ostendit, quomodo id quod eloquitur animo conceptum habeat: id

---

6) De Apollonii libro de pronomine emendando optime meritus est vir doctissimus Skrzeczka in progr. gymn. Kniphof. Regimont. 1847 edito, cujus studiis Apollonianis, in programmatis ann. 1853, 1855, 1858 propositis, magnopere me adjutum esse ingenue profiteor.

7) Nomen *προςώπου* desumptum a scena, ubi proprie de iis dicebatur, qui in secunda persona sunt, ad primam et tertiam translatum a grammaticis est. Alexandrini autem primi fuisse videntur, qui de eo, quod Graeci *πρόςωπον*, Latini personam vocaverunt, accuratius quaererent. Nam neque apud Aristotelem neque apud Stoicos certa hujus rei vestigia reperiuntur, quamquam Stoicorum de *κατηγορήμασι* et *συμβάμασι* doctrina arctissime cum personarum distinctione cohaerebat. Ubi enim ad *πράγματος* notionem, quae in omni verbo inest, personae designatio accedit, velut quum dicimus *γράφω, γράφεις, γράφει, κατηγόρημα* ab illis dicebatur; ubi autem certa persona indicatur, velut *ἐγὼ γράφω, Δίων γράφει,* etiam *σύμβαμα* dictum est. Cf. de constr. I, 8. p. 31; III, 31. p. 281. III, 32. p. 299. de pron. p. 146. C. Sed quamquam in his enuntiatis simplicibus personae notio patet et manifesta est, Stoici tamen plane eam neglexerunt. Aristarchus demum, quum pronominis vim definiret, etiam in personae notionem accuratius inquisivisse videtur.

quod de prima tantum persona dici potest.[8]) Indicantur autem personae duplici ratione, δείξει aut ἀναφορᾷ. Δείξει vel demonstratione eae personae designantur, quae praesentes sunt et oculis cerni possunt, τὰ ὑπ' ὄψιν ὄντα. Quae demonstratio duplex est: aut intensa est, si personae monstratae aliis personis opponuntur, aut absoluta, si personae per se proferuntur neque egent alterius adjunctione personae. de constr. p. 97: σύνεστι δὲ δεῖξις διττή, ἡ κατὰ ἀπόλυτον ἐκφοράν, οἷον ἔπαισέ με — φανερὸν γὰρ ὅτι δεῖξις, ἀλλ' οὐκ ἐπιτεταμένη οὐδὲ πρός τι ἀνατεινομένη —, καὶ ἡ ἀντιδιασταλτική, ἐμὲ αὐτὸν ἔπαισε. πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐπιτέταται τὰ τῆς δείξεως.[9]) — Ἀναφορᾶς notio in eo constat, ut rem, quae ante commemorata vel aliunde nota est, referat et cogitatione iteret. Ubi igitur ἀναφορὰ locum habet, ibi προϋφεστῶσα γνῶσις vel προεγνωσμένον, προδεδηλωμένον est, quod ἀναφορᾷ vel relatione refertur. 6. C.: πᾶσα γὰρ ἀναφορὰ γνώσεως προϋφεστώσης ἐστὶ σημαντική. Cf. Skrzeczka in progr. ann. 1859 p. 9. Interest autem inter δεῖξιν et ἀναφορὰν hoc, quod demonstratio, ut Prisciani verbis utar, primam cognitionem ostendit, relatio secundam cognitionem indicat. 77. B.: πρώτη γὰρ ἡ διὰ τῆς δείξεως γνῶσις, quae etiam ὑπόγυιος vocatur. de constr. p. 98: ἰδίωμα ἀναφορᾶς προκατειλεγμένου προςώπου δευτέρα γνῶσις.

Duplici igitur ratione pronomina personas designant, aut demonstratione aut relatione. 10. B.: πᾶσα ἀντωνυμία ἢ δεικτική ἐστιν ἢ ἀναφορική. Quum autem et ea persona, quae tanquam digitis monstratur, definiatur et ab aliis distinguatur, et ea, quae cogitatione refertur et iteratur, nota et distincta sit: illud sequitur, ut personas certas ac finitas pronomina indicent.[10]) Quae res in definienda pronominum natura ideo permagni momenti visa est, quod personas designare etiam verborum est. Sed personae cum verbis non ipsa natura necessario conjunctae, sed accessoriae sunt; propria enim verbi vis in eo constat, ut actio aut passio cum temporis adsignificatione significetur; deinde verbis non semper certae ac finitae personae indicantur, pronominibus semper indicantur; qua de re postea videbimus. Quamobrem, ut pronomina a verbis distinguantur, ὡρισμένων in definitione additum est.

Δείξει personas definiunt et μόνως δεικτικὰ vocantur pronomina primae et secundae personae, relativa autem vel ἀναφορικὰ pronomina tertiae personae (ἵ, οὗ, οἷ, ἕ), quibus αὐτός adnumeratur, quod tum demum δεικτικὸν fit, si demonstrativis adjungitur; reliqua,

---

8) Schoemannus in praef. ad lectt. Gryph. ann. 1860, p. 14. adn. 32: „Nam in hac sane (prima persona) διάθεσις illa est quam verbi modus significat, secus autem in secunda et tertia. Ridendus enim sit, qui in ἀπόλοιο, ἀπόλοιτο ac similibus earum personarum, quas verbum indicat, ψυχικὴν διάθεσιν significari opinetur."

9) Ἀπόλυτος vel ἀπολελυμένος, frei von Beziehung, Prisc. XVI, 55. p. 141 in Latinum sermonem absolutus convertit, cui opponitur discretivus, Graece ἀντιδιασταλτικός, ἐν διαστολῇ, ἐν ἀντιδιαστολῇ, ἐπιτεταμένως κείμενος. Et quoniam pronomina absoluta vel nulla significationis vi praedita formam encliticam habent, discretiva autem enclisin respuunt et rectum accentum postulant, illa etiam ἐγκλιτικά, haec ὀρθοτονούμενα vocantur.

10) De pron. 10. B.: εἰ οὖν τὰ δεικνύμενα ὁρίζεται, καὶ τὰ ἀναφερόμενα γνῶσιν ἐπαγγέλλεται προϋφεστῶσαν, ὅ ἐστι πάλιν πρόςωπον ὡρισμένον, ὀρθῶς ἄρα ὡρισμένων προςώπων παραστατικὴ ἡ ἀντωνυμία. Cf. de constr. p. 101. Prisc. XVII, 60. p. 144: „Definiuntur autem personae pronominum non solum demonstratione, quae praesentium cognitionem sub oculis ostendit, sed etiam relatione, quae absentium recognitionem habet."

ἐκεῖνος, *ὅδε*, *οὗτος* et demonstrativa et relativa sunt; relativa enim sunt, quum res, quas monstrant, non corporis oculis cernuntur, sed animo percipiuntur. de constr. p. 99: *ὁπηνίκα μέντοι τὸ ἐκεῖνος καὶ τὸ οὗτος οὐ δείκνυσι τὰ ὑπ᾽ ὄψιν, ἀναφέρουσι δέ, δεῖ νοεῖν, ὅτι ἡ ἐκ τούτων δεῖξις ἐπὶ τὸν νοῦν φέρεται, ὥςτε τὰς μὲν τῆς ὄψεως εἶναι δείξεις, τὰς δὲ τοῦ νοῦ.*

Personae autem tres sunt, in quibus definiendis Apollonius eos grammaticos reprehendit, qui docent: prima persona est quae loquitur, secunda quam adloquimur, tertia de qua loquimur. 22. A. Vult enim personas ita definiri: prima est, quum ipsa quae loquitur d e s e loquitur; secunda, quum ad alteram personam d e i p s a sermonem dirigimus; tertia, quum illa, de qua loquimur, d e s e loquitur. de constr. p. 254. *Ἔστι γὰρ πρῶτον (πρόςωπον) τὸ ὑ π ὲ ρ ἑ α υ τ ο ῦ ἀποφαινόμενον, δεύτερον δὲ τὸ πρὸς ὃ ἡ ἀπότασις ὑ π ὲ ρ α ὐ τ ο ῦ τοῦ προςφωνουμένου.* Et recte quidem. Nam verba *περὶ οὗ ὁ λόγος*, quibus tertiae personae notio plerumque definitur, etiam de prima et secunda dici posse Apollonium non fugit. Quam personarum definiendarum rationem etiam posteriores grammatici secuti sunt. Cf. Choeroboscum apud Bekk. Anecd. II, p. 1279. Theodosium, p. 83 Goettling. et Priscianum XII, 13. p. 584.

Ad primam personam significandam in universa vocabulorum silva nulla alia nisi pronomina primae personae inveniuntur. Secundam autem personam non solum pronominibus secundae personae, sed etiam casu vocativo designari jam a veteribus grammaticis perspectum est. 65. A: *αἱ κλητικαὶ τὸν πρός τινα λόγον ἀναδέξονται, ὅνπερ ἡ σύ ἀναδέχεται.* Quo factum est, ut Trypho, hac similitudine vocativi et pronominis *σύ* inductus, *σύ* pronomen semper vocativum[11]), non nominativum esse contenderet. Quam opinionem etiam hoc argumento confirmavit, ut nominativos tertiae personae esse censeret; itaque quum *σύ* secundae personae esset, nominativum esse non posse. Sed idem de *ἐγώ* et *ἡμεῖς* affirmare poterat, quum ipsa quoque primae personae et nominativi sint; sed de his formis veteres non dubitaverunt. Tryphonis sententiam Apollonius de pron. p. 65 et de constr. p. 214—218 refutavit, quibus locis eandem formam *σύ* nominativum et vocativum esse per *συνέμπτωσιν*, quae in his casibus saepissime locum haberet, probavit. Ut denique tertiae personae notio indicetur, plura pronomina inventa sunt. Nam quum tertiae personae natura sua infinitae sint, si personae, de quibus loquimur, prope adsunt aut remotius distant, *ὅδε*, *οὗτος* aut *ἐκεῖνος* dicimus; si autem absunt, *ἀναφορικῶς* pronominibus tertiae personae vel pronomine *αὐτός*, quod loco eorum ponitur, utimur. 21. C: *ὀρθῶς ἄρα καὶ ἡ ἐν τοῖς τρίτοις προςώποις διαφορὰ διήρθρωται, δείξει μὲν ὡς οὗτος, ἀπουσίᾳ δὲ (ἀναφορᾷ?) ὡς αὐτός, καὶ ἔτι*

---

11) Quum casu vocativo *κλῆσις τῶν πέλας* **indicetur, notio hujus casus obstat, quominus primitiva primae et tertiae personae vocativum habeant. de constr. p. 218:** *οὔ γε μὴν ἐν πρώτῳ ἢ τρίτῳ* **(sc.** *κλητικαὶ σύνεισι*), *καθότι οὔτε ἑαυτόν τις προςκαλεῖται, οὔτε τὰ ἄποντα καὶ κεχωρισμένα τῶν προςώπων· κλητικὴ γὰρ παρόντος προςώπου πτῶσίς ἐστι, τοσαύτην ἔχοντος ἀπόστασιν, ἐφ᾽ ὅσην ἂν ἡ φωνὴ συντείνειεν.* **Eadem de caussa etiam** *ἐκεῖνος* **et** *αὐτός* **vocativo carent. p. 219:** *ὀρθῶς οὖν οὔτε ἡ αὐτός κλητικὴν ἔχει, ἄπεστι γάρ, οὔτε ἡ ἐκεῖνος· εἰς ἀπόστασιν γὰρ προςώπου ἐπενοήθη, ἥτις μάχεται τῷ ἰδιώματι τῆς κλητικῆς.* **Pronominis** *οὗτος* **diversa est ratio; hoc enim vocativum habet, velut quum dicimus** *ὦ οὗτος, καθὸ πλησιάζει,* **i. e. admovet personas, quae prope sunt. 25. B.**

ἐν διαστήματι (sc. δείξει) ὡς ἐκεῖνος. 25. A: τὰ τρίτα, ἐπεὶ ἢ ἄπεστιν ἀναφορικῶς λεγόμενα, ἢ δείκνυται ἐν διαστάσει, ὡς ἐν τῷ ἐκεῖνος.

Singularis numerus primae et secundae personae nisi de primis et secundis personis non dicitur; duali autem et plurali numero diversae interdum continentur personae, vel, ut ait Priscianus, conceptio fit aliarum personarum. 23. A: τὸ δὲ πρόςωπον ἐπὶ δυϊκοῦ ἢ πληθυντικοῦ σύλληψιν ἀναδέχεται ἑτέρων προςώπων. Unusquisque enim loquentium syllepsin facit eorum, qui una secum loquantur: quos si vult indicare secum loquentes, necessario secundae aut tertiae eos attribuit personae. Omnes enim personae plurales ex singularibus personis constant, quae aut ejusdem personae aut diversae sunt. de constr. p. 220: πᾶν πρόςωπον πληθυντικὸν συνέστηκεν ἐξ ἑνικῶν ὁμοιοπτώτων, ἐάν τε ᾖ κατὰ σύλληψιν διαφόρων προςώπων, ἐάν τε καὶ ἐξ ὁμοειδῶν συνεστήκῃ. Quae quum ita sint, doctrinam de syllepsi personarum ita constituerunt veteres. Duali numero conceptio fit aliarum personarum, ita ut pronomen νῶϊ una cum prima persona secundam vel tertiam comprehendat, σφῶϊ aut secundas designet aut secundam et tertiam complectatur. Dualis tertiae personae nominativo caret, nam σφωέ pro accusativo est. Cujus rei caussam probabilem grammatici hanc excogitaverunt, ut hoc loco aut formam rectam aut encliticam usurpari posse negarent: nam dualem tertiae personae semper enclitice proferri, nominativum autem enclisin respuere et accentum rectum postulare; itaque Graecos, quum quo accentu haec forma proferenda esset ignorarent, plane eam omisisse. de constr. p. 183. Bekk. Anecd. II, 915.[12]) Pluralis numeri syllepsin si spectamus, prima persona secundas vel tertias vel secundas et tertias comprehendi videmus. Nam si quis dicit ἡμεῖς ἠριστεύσαμεν, ita ut de se et de absentibus loquatur, syllepsin facit primae et tertiae personae; qui autem ἡμεῖς αἴτιοι ἐγενόμεθα de se ipso et praesentibus civibus accipi vult, ad primam personam secundas adjungit; denique qui de absentibus civibus dicit ἡμεῖς αἴτιοι τῆς μάχης ἐσμέν et ad praesentes sermonem dirigit, secundas et tertias complectitur. Eodem modo secunda persona pluralis numeri vel aliae secundae vel etiam tertiae continentur, ut ὑμεῖς idem sit quod σὺ καὶ σὺ καὶ ἐκεῖνος. Tertiae vero personae plurales nisi de tertiis personis dici non possunt. de constr. p. 185: τὸ γὰρ τρίτον πάντοτε ἐν τρίτοις νοεῖται.

Accedamus nunc ad extremam partem definitionis Apollonianae, qua ἀντωνυμία λέξις διάφορος κατὰ τὴν πτῶσιν καὶ ἀριθμόν, ὅτε καὶ γένους ἐστὶ κατὰ τὴν φωνὴν ἀπαρέμφατος statuitur. Graefenhan (Gesch. d. klass. Philol. III, 115) hanc definitionis partem corrupit ita interpretans: „In der Flexion nach Casus und Numerus sind die Pronomina unter einander abweichend, so wie sie auch ihrer Form nach das Genus unbestimmt lassen.“ Neque Lerschius, l. l. II. p. 135, plane et perspicue hunc locum explanavit. Rectissime Skrzeczka in prog. ann. 1853. p. 4 ita haec verba interpretatur: „Die einzelnen Casus und Numeri desselben Pronomens sind nicht nach den gewöhnlichen Flexionsregeln von einander gebildet, wenn sie auch das Genus nicht durch die Form bezeichnen.“ Hanc definitionis partem ad pronomina, quae primitiva vocantur, pertinere manifestum est; haec enim sunt

---

12) De duali tertiae personae, quum raro in usu esset, ne veteribus quidem certum judicium fuit. Etiam de forma σφωΐ dubitaverunt. Apoll. de pron. p. 114. C. illa forma genetivum et dativum, de constr. p. 183 solum dativum significari censuit.

illa, quae externa forma generis designationem habent nullam. Quam generis designationem plane iis deesse veteres negaverunt; demonstratione genus personae monstratae adsignificari dixerunt. 13. A: διὰ τῆς ὑπ' αὐτῶν δείξεως ἡ τῶν γενῶν διαστολὴ παρεμφαίνεται· συνεξηγουμένον γὰρ ἔχει τὸ γένος ἡ δεῖξις. Substantiam significant pronomina, non substantiam cum qualitate conjunctam, ut nomina; itaque, quum qualitatis designatione pronomina careant, ne genera quidem externis formis discernunt. de constr. p. 104. Quare quum tria genera una voce adsignificent pronomina primitiva, monadica vocantur, quia monocatalecta sunt.

Primitiva igitur per casus et numeros ἀναλόγως non declinantur vel, ut Apollonii verbis utar, non est in iis ἀκολουθία, i. e. omni analogiae norma ac lege, quam nomina sequuntur, soluta sunt. 11. C.: Ποία γὰρ ἀκολουθία τῆς ἐγώ πρὸς δυϊκὸν τὸ νῶϊ, ἢ τῆς νῶϊ πρὸς τὸ ἡμεῖς; Quum igitur suum cuique casui et numero θέμα sit, primitiva etiam θεματικὰ vocantur, cumque iis inter nomina heteroptota, ὕδωρ ὕδατος, γυνή γυναικός, inter verba heteroclita ἔσθω ἔφαγον, φέρα οἴσω comparantur. 12. C., Bekk. Anecd. II, p. 910.

Quoniam de casuum et numerorum flexione diximus, pauca de personarum designatione, quae externis vocabulorum formis fit, exponamus. Frequens est apud grammaticos ἀπορία, quomodo fiat, ut pronomina personas priore parte vocabuli distinguant, non ut verba terminatione. de pron. p. 132. de constr. p. 95. Quam rem ita explicandam Apollonius putavit, ut factum id esse diceret, quia pronomina casus et personas simul distinguerent: quod si in extrema parte vocabulorum fieret, σύγχυσις casuum et personarum existeret necesse esse; quare, ne casuum et personarum notae, si in eadem parte vocabuli essent, confunderentur, personas priore parte, casus terminatione notatos esse. 132. B: προνοητικώτατα ἄρα κατὰ τὸ ἄρχον κινεῖται τὸ πρόσωπον, ἵνα ἄχραντος ἡ πτῶσις μείνῃ. Sed fuisse, qui, quum in casuum et numerorum declinatione ἀκολουθίαν non reperissent, in personis saltem distinguendis analogiam quandam esse contenderent, ex compluribus locis apparet. Dixisse enim illi videntur, ἀκολουθίᾳ satisfactum esse, si pronomina primae personae a littera ε, secundae a σ inciperent, tertiae vero ἀφαιρέσει τοῦ σ discernerentur, si genetivi plurales parem haberent syllabarum numerum ac singulares, ac similia. Sed analogeticos illos, quum analogiam in pronominibus omni ratione defendendam susciperent, quam quum non in terminatione vocabulorum invenissent, in priore saltem parte invenisse sibi viderentur, non modice analogiae legi inhaesisse apertum est.

Quae autem pronomina ad genus discernendum formas diversas habent, in iis ἀκολουθία est κατὰ πτῶσιν καὶ κατὰ ἀριθμόν: id quod in derivativis et in iis, quae nunc demonstrativa vocantur, usu venire manifestum est. Derivativa enim et genere et casibus congruunt cum nominibus, quibuscum conjuncta sunt: demonstrativa vero οὗτος, ἐκεῖνος, ὅδε ob eam caussam genera distinguunt, ut personae quas monstrant omni ex parte insignes et conspicuae fiant. de constr. p. 105: ἡ γὰρ ἐξ αὐτῶν νοουμένη ἀπόστασις ἀμαυροτέραν τὴν δεῖξιν καθιστάνει, καὶ ἔνθεν παρεισδύετο τὸ γένος. Idem in pronomen αὐτός valet. τὰ γὰρ ἀπόντα τῶν τρίτων προσώπων ἀναφέρουσα, ὑπόμνησιν καὶ τοῦ γένους ἐποιεῖτο διὰ τοῦ χαρακτῆρος.

Postquam de iis definitionis partibus diximus, quae ad pronominum significationes et formas pertinent, ad priorem partem accedamus, ex qua hoc vocabulorum genus nomen duxit quaque pronomina ἀντὶ τῶν ὀνομάτων poni statuuntur. Sed quum tota haec disputatio sit de ratione, quae inter pronomina et ceteras partes orationis intercedit, magis-

que ad syntacticam quam dicimus, quam ad formalem grammaticae partem pertineat: de ratione, quam Apollonius in tractandis partibus in syntaxi sequitur, breviter exponere non alienum videtur. Apollonius, in vocabulorum vim ac naturam inquirens, a perfecta enuntiatione (*ἀπὸ τοῦ αὐτοτελοῦς λόγου*) proficiscitur: ita ut non de classibus vocabulorum, sed de partibus orationis, *μέρεσι τοῦ λόγου*, loqui soleat. Ad perfectam vero enuntiationem efficiendam duae partes necessariae sunt, *ὄνομα* et *ῥῆμα*. Quod ut probetur, de constr. p. 11. enuntiatum aliquod integrum profert, quod omnes orationis partes excepta conjunctione complectitur: *ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος ὀλισθήσας σήμερον κατέπεσε*; quod enuntiatum perfectum si constare volumus, ceteris partibus detractis, nomen et verbum detrahi non posse docet. Quamobrem quum sine illis enuntiatio perfici non possit, in ordinandis partibus, quem ordinem *μίμημα τοῦ αὐτοτελοῦς λόγου* dicit, primum locum nomini, alterum verbo attribuit eaque *τὰ ἐμψυχότατα μέρη*[13]) vocat. Ceterae vero partes, quum sint illis primariis inferiores, et nomen ab illis traxerunt et in syntaxi ita tractantur, ut, quando vel ad eas assumantur vel loco earum ponantur, demonstretur. Sed inferiorum partium diversa est ratio: aliae ad nomen accedunt, velut articulus, aliae ad verbum referuntur, velut adverbium. de adv. p. 530: *τὰ μὲν ἄρθρα πρὸς τὰ πτωτικὰ ἢ ὡς πτωτικά, τὰ δὲ ἐπιρρήματα πρὸς τὰ ῥήματα.* Pronominis vero natura non tam simplex est quam articuli et adverbii; ad utramque enim partem primariam pertinet, et quidem ita, ut et loco nominis ponatur et ad verbum assumatur, vel, ut Apollonii verbis utar, *ἀντ᾽ ὀνόματος ἀνθυπάγεται* et *πρὸς ῥῆμα παραλαμβάνεται.* Hac duplici pronominis natura, quam de constr. p. 95 diserte proponit, efficitur, ut et casus et personas pronomen habeat, et de rationibus, quae pronomini cum nomine et cum verbo intercedant, secundo syntaxis libro separatim disputetur.

Primum igitur pronomina pro nominibus poni censuit; qua de re proprio verbo *ἀντονομάζεσθαι* utitur. de constr. p. 98. 101. Cf. Prisc. XVII, 56. p. 141: „pronominari, id est per pronomen significari." At non omnium nominum vices sustinent pronomina, sed nominum propriorum tantum. Neque enim appellationum neque adjectivorum locum tenent. 32. B: *οὔτε ἀντὶ τῶν προσηγορικῶν ὀνομάτων, εἴγε αἱ μὲν ὁρίζουσιν ἕν τι, τὸ δὲ προσηγορικὸν διήκει κατὰ πλειόνων. Ἀλλὰ μὴν τὰ ἐπιθετικὰ ἢ πηλικότητα ἢ ποσότητα ἢ διάθεσιν ψυχῆς δηλοῖ ἤ τι τοιοῦτον· αἱ δὲ ἀντωνυμίαι οὐδενὸς τούτων παραστατικαί, μόνον δὲ οὐσίας.* Nam quum unam certam personam designare pronominum sit, appellationum munere fungi non possunt; velut quum pro *ἵππος με ἐλάκτισε — οὗτός με ἐλάκτισε* dicimus, pronomen *οὗτος* non *κοινότητα τοῦ ἵππου*, sed *τὸν ἰδίως νοούμενον* significat. Cf. de constr. p. 19, 73, 112. Ponuntur autem nominum loco, ut personarum designationi, qua nomina carent, inserviant. de constr. p. 95: *ἵνα τὸ ἐλλιπὲς τοῦ ὀνόματος, λέγω τὴν τῶν προσώπων διάκρισιν, αὗται ἀνθυπενεχθεῖσαι ἀναπληρώσωσι.* Quum enim in verbis etiam personae quamvis indefinita notio insit, nomina autem cum tertiis verborum personis plerumque construantur, loco nominum cum primis et secundis verborum personis pronomina conjungi necesse est. Sed hoc loco Apollonius et qui eum secuti sunt grammatici, quum nomini *ἀντωνυμίας*,

---

13) Aliis locis *θεματικώτατα, κύρια, γνησιώτατα* vocantur. Bekk. Anecd. p. 881: *εἰρήκαμεν γὰρ ὅτι τα κυριώτατα τῶν μερῶν τοῦ λόγου τό τε ὄνομα καὶ τὸ ῥῆμά ἐστι, ἐπειδὴ ταῦτα ὥςπερ σῶμα καὶ ψυχὴ ὄντα ποιεῖ τὰ ἄλλα ἐξ αὐτῶν προϊέναι καὶ φαίνεσθαι.*

